

- 1435 randa pace cœptum erat agi. Ad cujus conditiones aliquanto æquiores ut Philippus inclinaret, Franciscus Sforcia fecerat, qui ex Piceno in Flaminiam Pontificis iussu transiverat; ferocissimo nanque hoste ex propinquo conspecto, nonnihil ille ex sua remiserat pertinacia. Erant ubique fere induciæ ob spem componendæ rei a Pontifice factam: quum subiti Genuensium motus, Aragonio præsidio ex arce, quæ ad Portum Veneris est, in maritima Liguriæ ora, ejecto, omnia turbarunt. Tenebat Alfon-sus Rex tria in ora illa littorali oppida, quæ a Philippo non multo ante dono acceperat. Ad eam igitur pulsi præsidii famam ex Parmensi Picininus excitus (Philippus aperte jam Alphonsi partes tuebatur) ad arcem recuperandam advolat: quam quum natura & armis inexpugnabilem vidisset, conversis alio signis, Serzanam occupat. Inde Castro novo aliisque locis in eo littorali tractu captis, Macra fluvio contra antiqua recentiaque fœdera su-perato, Lucam se contulit: compulsiisque Lucensibus ad pacem, quam cum Florentino sanxerant, violandam, Pisanos fines adortus, confessim nonnulla ademit Florentinis oppida. Sunt qui tradant, Picinimum a Lucensibus accersitum, qui Bargam oppidum a Florentinis repe-tebant: ac interim quum Bargenses oppugnantur, a Ciarpellione & Petro Brunorio a Sforcia missis, fœliciter in Picinimum pugnatum. Affecisset ille omnino Florentinos subito illo motu aliqua majore clade, nisi, spe Genuæ per seditionem recipienda oblata, relicta Hetruria, citato agmine in Liguriam abiisset. Interim Sforcia, superato Arno fluvio, quæcunque hostis oppida in Pisano agro occuparat, brevi recepit: admotisque ad Lucam castris, præsidiisque circa portas communitis, gravi cœpit Lucenses premere obsidione. Picininus autem sua expeditione frustratus, in Parmensem se recepit, commeatus & supplementi inde petendi consilio. Sed dum tardius omnia expediuntur, Lucenses interea segetibus, partim ante messem corruptis, partim ubi maturuissent, ab hoste defectis, ad tantam rei frumenta-

*Luca gravi  
obsidione a  
Florenziniis  
premitur.*